



Panis Evangelici Fragmenta Quadragesimalia Tripartita

Ex sanctissimo Dei Verbo copiosè & sedulo collecta, Sanctorum Patrum, variorumque Auctorum sententiis & conceptibus mirificè aucta; Et Omnibus Quidem Anni Dominicis; præcipuè tamen singulis Quadragesimæ Dominicis & Feriis per binas ad minus, sæpius denas aut septenas Conciones fideli Populo ...

Lingendes, Claude de
Coloniae Agrippinae, 1689

In Dominicam Secvndam Qvadr.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56356](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56356)

enim vobis, & quod toties negatum erat, quasi intra portas clausum, consequemini velut januis apertis, & aditu facto: Sic autem animus in oratione paulatim incalcescit: Unde S. Hilarius Canone 6. in Matth. obtinere in solâ precum morâ est, non tantum ob perseverantiam, sed præcipue propter fervoris augmentum,

Quid hic primum conquerar, Auditores, *quis loquar, & quem contestabor?* quis enim orat uti oportet, quis has condiciones in orando observat? Quam frigidi, quam distracti, quam irreverentes! De Josepho Abbate dicitur in vitis Patrum quod cum manus in cælum tolleret oraturus, digiti ejus videbantur velut decem lampades ignis claro splendore lucentes: nostenebras afferimus. Unde de plurimis dici potest, *Et oratio eius fiat in peccatum.* Et illud Ilaia. 66. *Qui immolat bovem, quasi qui interfi-*

ciat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris quasi qui benedicat idolo. Nam cum orationem Deus dederit quasi communem mundi portum, passim homines oratione non Dei misericordiam, atq; gratiam quærunt, sed iram & indignationem. Quare cum orare nobis tam sit necessarium quam aërem ducere, hoc studeamus scire quod scire tantum interest, ut cum orare sciverimus impetrare sciamus. *Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Cum certi simus, de assuetudine, nã gratis sumus miseri, si orationem non adhibemus. Hoc malum a nobis avertat Deus, sed ita nos doceat, & nobis donet orare ut orando impetrare ipsius misericordiam, gratiam & gloriam possimus.

Amen.



DOMINICA SECUNDA
IN QUADRAGESIMA
CONCIO PRIMA
DE TRANSFIGURATIONE.

De apertissimâ Christi Divinitatis manifestatione in Patris testimonio, & in luce mirabili.

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.

Matth. 17.

HIC cœli & terræ video certamen, disum mutarit. Cur enim Paradisum terram non vocem, ubi se DEVS in gloriâ terra, cum DEVS terram in Para- conspiciendum donat? Quare non mirum

Tom. II.

L

si Pe-

si Petrus dicat, *bonum est nos hic esse*: Vbi enim melius? Item *faciamus hic tria tabernacula*: Vbi enim morandum *facilius* quam in tanta beatitudine? *Nesciens tamen quid diceret*, non quia quod dicebat, non rectè esset dictum sed quia ipso gaudio abreptus, & in excessu suo diceret: sicut n. nesciebat, quod videbat, nec quod sentiebat, nesciebat etiam quid diceret, *Felix ignorantia quæ extasim supponit, & mentis excessum!* Putas sciemus quæ dicturi sumus aliquando in gloriâ, cum utiloquitur Scriptura, *Inebriabuntur ab ubertate domus suæ*: Multa loquitur ebrius, sed nescit quid dicat: Rectè autem Gregorius Nyssenus, Ebrietatem mentis, extasim interpretatur. Sed ut nunc sciamus quid dicamus, discamus à Matre non solum *pulchra dilectionis*, sed etiam *agnitionis & sanctæ spei*. AVE MARIA.

INTER omnia fidei nostræ mysteria nescio an aliud sit, quod simul, & notissimum sit & occultissimum præterquam Transfigurationis. Notissimum quidem 1. Quia non sine luce, & eâ tantâ ut illius spectatores Solem viderint de propinquo: *omne autem quod manifestatur, lumen est*. 2. Quia non sine voce eâque publicâ, à Patre, & de Nube: *Et ecce vox de nube, dicens, Hic est Filius meus*: Tanto autem sono, ut audientes in terram dejecerit, *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timerunt valde*. 3. In quo omnis generis personæ concurrunt, Divinæ, humanæ, vivi, mortui, immortales: Divinæ quidem, & distinctè, Pater in voce, Filius in luce, Spiritus sanctus in Nube. Humanæ verò, ex lege Moyses, ex Prophetis Elias, ex Evangelio tres Apostoli: Item ex vivis, Apostoli, ex mortuis, Moyses, ex immortalibus Elias. Idem tamen mysterium occultissimum est. 1. Quia seorsim, &

procul ab omnium conspectu, *Et duxit illos in montem excelsum seorsum*. 2. Quia ex omnibus Apostolis tres tantum assumpsit, cæteros removit. 3. Quia silentium imperatum: *Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Iesus dicens, Nemini dixeritis visionem*.

Sed mihi præter cætera difficillimum, & occultissimum est hujus mysterij finem statuere: Nam si nulla est perfecta cognitio non cognitâ causâ, ex causis, omnium nobilissima, finis: & ita quis sit finis hujus mysterij nunc investigandum. Ac ne in aliorum opinionibus aut recensendis aut refutandis tempus conteram; Placet communissima Sanctorum Patrum sententia, ut Chysofostomi, S. Leonis, Theophylacti, & aliorum multorum, Mysterium Transfigurationis, continere apertissimam Christi Domini divinitatis manifestationem.

Christus itaque sæpe Apostolis de morte suâ, deque mortis supplicio mentionem fecerat, sed vel illi non intellexerant, vel abhorruerant, sicut Petrus, *Abstine hoc à te Domine*, cum igitur eorum ingens prævideret scandalum, ne ex Crucis ignominia divinitatem ignorarent, voluit eos quasi divinitatis ipsius oculos, & auritus testes efficere: Vnde eodem tempore quo apparuit in gloria, de morte sua sermonem instituit: Etenim cum Moyse, & Elia loquebatur de excessu quem completurus erat in Jerusalem, hoc est, de morte, quam erat subiturus: eo facto complens quidquid in lege de eo figuratum erat: lex autem per Moysen ostendebatur: & quidquid per Prophetas dictum erat de eo, de quibus unus solus Elias erat superstes; ex quo efficitur finem hujus mysterij, eam esse divinitatis Christi manifestationem qua clarior nulla esse possit.

Ea porro fit 1. testimonio Patris: 2. rebus ipsis, seu Transfiguratione. S. Hilar. can. 2. Filius DEI auditus, conspectuque monstra-

tur: qui duo sensus sunt omnium potissimi, per quos res digniores, & sublimiores cognoscimus: De testimonio Patris ita Damascenus. Hodie ad hominum aures ea perveniunt, quæ nunquam audita fuerant: nam qui homo cernitur, hic unigenitus, ac Dei Filius, ejusdemque cum eo substantiæ esse perhibetur, atque hoc testimonium verum est, hoc præconium verum: nam ipsemet Pater qui genuit, hanc prædicationem prænuntiat, *hic est Filius meus dilectus*. Id est, ex explicacione Damasceni, sæculis omnibus antiquior, solus ex solo unigenitus, sine tempore, & sempiternè ex me progressus, quique & ex me, & in me, & mecum, & semper est, nec existentia ratione me posterior: ex me (inquam) ut ex paterna causa, atque ex mea substantia genitus, unde etiam mihi consubstantialis est: In me, quia sine ulla separatione, atque excessu genitus: mecum denique, ut qui per se perfecta persona sit, ac non sermo qui ore proferatur, ac in aërem dilabatur, &c. Hic est Filius meus, ille, inquam, gloriæ meæ splendor, ille substantiæ meæ character, per quem Angelos feci, stabilita terra, fundamentum cælum, *omnia portans verbo virtutis suæ*, &c. Atque illud est nomen quod est super omne nomen: cui enim dixit Deus aliquando Angelorum: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Et certè Moses in Scriptura vocatur quidem servus, hic autem appellatur Filius: Vnde Apost. Hebr. 3. *Et Moses quidem fidelis erat in totâ domo ejus, tanquam famulus, in testimonium eorum qua dicenda erant: Christus verò tanquam filius in domo suâ*: Hoc verò testimonium fuisse à Patre indicat & ipse rei apparatus omni re humana major, & vocis auctoritas enim a Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsâ ad eum hujuscemodi à magnifica gloria: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite*. Et hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso in monte Sancto.

Jam 2. Verbis res accesserunt. Nam hoc Patris testimonium ipso opere comprobatum est, illa scilicet mirabili Transfiguratione Christi Domini, quâ ut loquitur Lucas visus est in *Majestate*, quâ in re Sancti Patres agnoscunt certissimum divinitatis argumentum.

Nota 1. illam vultus Transfigurationem non esse factam per mutationem aliquam substantialem, neque enim figura ad substantiam pertinet: Ita docet S. Hieronymus in Epistolâ ad Pammachium contra errores Joannis Hierosolymitani, cõque argumento ac similitudine probat veritatem carnis nostræ in resurrectione futurâ, in quâ substantia non mutabitur. Item non esse factam mutatione figuræ aut lineamentorum, sed novi splendoris, ac luminis additione: sicut in pulchritudine præter lineamenta & transfigurationem existit color, qui propriè est flos quidam pulchritudinis: Quare quod Marcus dixit Christum fuisse Transfiguratum, & quod Lucas dixit CHRISTI faciem factam fuisse alteram, expressius Matthæus dixit, faciem Christi splenduisse ut Solem. Sic enim Hieronymus in Matthæum: ubi splendor faciei ostenditur, & candor describitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria commutatur: cum transformatus est Dominus in eam gloriam quâ venturus est in regno suo, transformatio splendorem addidit, faciem non subtraxit. Et Tertull. lib. de Resurrectione, carnis: Dominus in secessu montis vestimenta luce mutaverat, sed lineamenta Petro agnoscibilia servaverat. Victor Antiochenus in Marci 9. hinc probat Beatos in Resurrectione in eadem suâ priori effigie cum maximo tamen decore suscitandos.

Nota 2. In illo splendore explicando duo esse vitanda. I. est illum ipsum splendorem esse divinitatem ipsam visam oculis corporeis Apostolorum, uti nonnulli malè

quosdam è Sanctis Patribus intellexerunt, qui dicere videntur in eâ luce visam esse ipsam divinitatis essentiam. Nam licet divinitas in Scripturis passim explicetur per splendorem, & per lucem (Ita Filius dicitur, *Candor lucis æternæ: splendor paternæ gloriæ: genitus in splendoribus Sanctorum: lux vera qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*) ea tamen verba non sunt intelligenda de luce aspectabili, atque corporeâ sed de intellectuali. Præterea Deus videri nequit oculo corporeo, ne jam dicamus animalia fieri etiam posse beata: Et passim docent Theologi id fieri non posse, quia visio essentialiter respicit & suum objectum, & suum subjectum, est autem oculi visio coloris tantum & lucis corporeæ visio. Alterum extremum vitandum est, ejusmodi scilicet lumen fuisse tantum lucis emanationem gloriosam ab animâ Christi gloriosâ. Nam cum Beatorum corpora inter cæteras dotes habitura sint lucem incredibilem juxta illud Matth. 13. *Iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum*, (quem locum de claritate corporum intelligit S. August. lib. de Cognitione veræ vitæ cap. 46.) Christi anima quæ erat beata debebat in corpus suum lumen gloriosum transfundere; quia tamen per dispensationem in Christo duo status conjuncti erant, viatoris, & comprehensoris, hinc factum ut Christi anima esset gloriosa, passibile autem & mortale corpus, ac sine illo lumine glorioso; & inde (ut nonnulliasserunt) ex dispensatione alterâ, ut in die Transfigurationis anima glorioso illo lumine corpus perfunderet. Verum Sancti Patres aliquid longè majus assequuntur in hac actione; neque enim solam luminis effusionem agnoscunt in Christi corpore ab ejus animâ gloriosâ, sed certum insuper divinitatis argumentum, & ab ipsâ divinitate exortam illuminationem: unde aliquâ ratione dicere videntur per illud lumen visam esse ab Apostolis divinitatem. S. Damascenus ser-

mon. de Transfigur. ô miraculum mentem omnem superans, non externè corpori gloria accessit, sed internè, ex Dei verbi deitate, modo quodam omnem sermonem excedente ipsi personaliter unitâ. Idem exponens illa verba, *sicut Sol*, negat intelligi de Sole materiali, sed de Solis conditore: & positum illud verbum dicit ad intelligendum lumen increatum, Patris substantiale Verbum, gloriæ splendorem, naturalem Dei ac Patris substantiæ characterem: unde addit: Solis igitur instar, ipsius facies lucet; etenim luci materia carenti personaliter unitur, eique justitiæ Sol efficitur. Vestimenta autem tanquam nix albescunt: vestimentum enim non per unionem glorificatum est, verum per quandam duntaxat affectionem, ac non item hypostaticè. Præterea postquam dixisset deceptum fuisse Dæmonem, ne Christum agnosceret Deum in Transfiguratione, ex Moysis memoria, cujus facies in oratione fuisset illuminata, subdit Christi & Moysis discrimen. Verum Moyses quidem gloria externè adventante glorificatur, at Dominus Jesus haud quaquam adscitium gloriæ ornamentum habebat, verum ex insita divinæ gloriæ claritate manans: Unde dicit ab initio Christi corpus Divinæ gloriæ particeps fuisse ob unionem hypostaticam, ita ut (inquit) una eademque esset Verbi, ac carnis gloria: sed videri à corporeis oculis, immò ab Angelis non potuisse. Transfiguratur itaque, ait, non quod non erat assumens, nec in id quod non erat migrans, verum id quod erat, discipulis suis declarans, eorum nimirum oculos aperiens: atque, inquit, hæc est sententia illorum verborum. *Transfiguratus est ante eos*. Idem enim ipse manens, præter id quod prius cernebatur aliud nunc discipulis apparere videbatur. Idem fuit judicium Gregorij Nazianz. orat. de Fide propè finem: *Vbi docet divinitatem in humanitate delituisse ad modum Solis, cum nubes objecta non tollit*

solit lumen, sed occultat: In Transfiguratione autem lumen aperiri quasi nube disiectâ, ac dissipatâ. Author lib. de mirabilibus Scripturâ qui ab aliquibus tribuitur S. Augustino, sic loquitur eâ de re lib. 3. c. 10. Licet in hac ostensione Domini facies solari splendore fulserit, non ipsa caro splenduit, sed divinitas latens in corpore luminis sui portiunculam conspiciendam foris videntibus, quantum poterant, concessit. S. Epiphani. hæresi 69. quæ est de Arianismo sub finem: *Resplenduit* (inquit) *facies ejus sicut Sol*, ea inquam, facies quæ erat cum divinitate conjuncta: & ita explicat gloriam quæ apparuit, gloriam, ac splendorem divinitatis, S. Cyrillus citatur in Catenâ Græcorum Patrum in Lucam, exponens claritatem in quam Christus Transfiguratus est, eam appellat *ἐξαιρέτων τινα ἢ θεοωρεπῆ λαμπρότητα*. Eminentem quandam, & Deo convenientem claritatem. Ex quorum Patrum verbis facile colligitur, id quod in Christi Transfiguratione visum est, non fuisse tantummodò lumen corporis gloriosi, cum tamen dici non possit fuisse ipsam divinitatem: & cum aliunde dicant per istum splendorem visam fuisse quodammodo divinitatem, hoc unum superest, ut dicamus tale lumen in corpus Christi derivatum à divinitate profectum fuisse, & ex peculiari connexione cum ipsâ, eam sensibiliter quodammodo manifestasse: quid autem illud fuerit, & quomodo factum sit, inquirimus.

Nota itaque 3. S. Thomam 3. p. q. 45. art. 2. in corpore sic exponere. Cum hoc lumen non fuerit dos permanens, sed tanquam passio transiens, miraculosum illud fuisse, itaque profectum tum à Christi divinitate, tum ab animâ eius gloriosâ, tanquam ab instrumento. Verùm si hoc tantum dicatur non satis sit Sanctorum Patrum doctrinæ: Quia licet miraculum connotet Deum Authorem, tanquam causam principalem, non tamen connotat De-

um ut principium conjunctum: Et in Mosis facie lumen fuit supernaturale, & miraculo productum, non tamen certum indicium divinitatis ipsius: Vnde S. Damascenus Christi & Mosis discrimen affert, quod Moses gloria externa adventante glorificatus sit, Christus autem ex insitâ divinæ gloriæ claritate. Præterea SS. Patres indicant illum splendorem fuisse, ut loquitur Cyrillus *ἐξαιρέτων τινα ἢ θεοωρεπῆ λαμπρότητα*.

Existimo itaque 1. hujusmodi lumen ac splendorem præcipuæ cujusdam dignitatis ac naturæ fuisse, quod omne aliud lumen superaret, quem splendorem non indignum Deo appellat Cyrillus. Nam ut discursu Apostoli utar 1. Cor. 15. Quemadmodum in naturâ licet plura sint corpora luminosa, tamen gloriâ, & splendore differunt: alia quidem cælestium gloria, alia autem terrestrium: *alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stellâ differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum*: Certè etiam interrestribus luminosa sunt multimoda, qualia sunt ignis, gemmæ, uniones, metalla, vermiculi, squamæ piscium, oculi plurium animalium, putridum lignum, & sexcenta: sed cum status alterius vitæ sit supernaturalis, dabitur lumen corporibus beatis longè majus, & alterius rationis, quàm lumen omne naturale. Nam licet dicatur quod *fulgebunt iusti, sicut Sol*, tamen ista comparatio necessitatis est, quia in humanis nihil lucidius est Sole: alioqui enim Beatorum corpora septuplo magis, hoc est longè magis lucebunt Sole secundum illud Isaia 30. *Lux Solis erit septemplex sicut lux septem dierum, in die quâ alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussura in plaga ejus sanaverit*. Chrysost. homil. 57 in Matth. Non id dictum est, quoniam tantus splendor eorum futurus est: verùm quia nihil Sole fulgentius videmus, ab eo quod nobis notissimum est, futurum Sanctorum splendorem

dorem voluit designare. Vnde, ne putes lucem ordinariam S. Machar. homil. 1. vocat lumen arcanum. Vide discrimina. 1. Longè major erit nostra: ita Chry. Paræn. 1. ad Theod. Erit lux, non quæ nunc est, sed planè alia, quæ hanc tantùm superabit fulgore, quantum ista lumen lychnis. 2. Non erit corruptibilis, ut hæc nostra, ait Rabanus lib. de modo pœnitentiæ cap. 14. Incorruptorum gloria corporum, non hoc splendoris emittit, quod ex ista corruptibili luce procedit. 3. Non poterit impediri. Chry. Non occuletur ullis, aut nocte, aut congressu nubium: 4. Non ejus erunt capaces oculi mortales: Rabanus. Nec talem emittent lucem, qualem nunc mortales oculi capere possunt. 5. Licet futura sit maxima non tamen oculos lædet: Laurent. Iustinianus lib. de disciplinâ & perfectione Monasticâ c. 13. Non intuentium in se reverberabit aspectum sed ineffabili quodam modo confortabit, clarificabitq; Nunc magna lux lædit, quia ratione caloris organum dissolvit; sed de ista luce, ait Chry. Nec urit, nec inflammat corpora. Eiusmodi sibi lumen objectum refert B. Theresia in vitâ suâ à se scripta c. 28. ac fatetur eam pulchritudinem omnem aliam formam superare, toto etiam candore, ac splendore. Non est (inquit illa) splendor qui visum turbet, sed gratus & suavis candor, splendorq; & lux infusa, quæ visum valdè oblectet, nec eum fatiget, non magis quàm ejus claritas, in qua videtur illa pulchritudo tam divina: lux est adeò discrepans ab eâ hujus loci, ut claritas Solis quam aspicimus, in illius comparatione lucis quæ se exhibet visui, ita fulgorem suum amittat, ut oculi nollent se aperire ad eam intuentiam. Id idè est, ut si videretur aqua limpidissima currere super crystallum, in quâ reflectitur Sol, in comparatione aquæ turbidissimæ, ac tempore admodùm nebuloso atq; obscuro quæ curtat super terram, Non quod repræ-

sentetur Sol aut quod lux sit instar ejus quæ est in Sole, nam demùm hæc lux videtur esse lux naturalis, illa autem altera lux artificiosa. 6. Quia hæc lux non tantùm est in superficie, sed etiam in profundo, itaque sic Beatorum corpora penetrabit, ut sint perspicua. Hinc Sanctus Cyrillus Cateches. 18. & Sanctus Macharius homil. 15. ea comparant ferro ignito; & de iis loquens S. Gregorius 18. Moral. cap. 27. hæc ait, Patebit corporalibus oculis, ipsa etiam corporalis harmonia; ut & S. Augustinus lib. de cognitione veræ vitæ c. 45. dicit eadem, claritate fore tanta, quanta spiritus: alibiq; passim in hanc sententiam plura profert. Quemadmodum igitur lumen corporum beatorum erit longè diversum, & naturæ excellentioris nostro lumine sensibili ita supra lumen corporum beatorum potuit esse lumen istud quod Christo conveniret.

Existimo secundo, ejusmodi lumen ac splendorem peculiarem connexionem habuisse cum divinitate, non absolutè sumpta, sed quatenus unita: ita ut, quemadmodum corpori beatorum debetur claritas gloriæ, quæ emanat ab anima beata; & sicut ex unione hypostatica cum anima Christi sequitur in ea anima esse gratiam capitis: ad hæc gratiam summam sanctificantem, summam sapientiam, atque scientiam visionis, omnia dona & gratias, atq; appendices, quæ debentur Christiani vi unionis: ita corpori ejusdem, vi unionis hypostaticæ fortasse debeatur quædam gloria, quæ instar proprietatis fluit à divinitate conjuncta seu ab homine Deo seu quæ homini Deo debetur, quæ alterius est ordinis ab ea luce & gloria quæ dabitur ejusdem corporatione beatitudinis animæ, sicut fit in cæteris: unde Toletus An. 57. in cap. 9. Lucæ, ait hanc gloriam corporis non provenisse ex animæ beatitudine, uti fiet in beatis post resurrectionem, sed ex ipsa unita deitate, in testimonium divinitatis Christi.

Christi, ut Patres dicunt, & conprobant Evangelica verba, *Hic est Filius meus dilectus* quasi verbum ejusmodi, illo opere confirmaretur, hinc fit ut dicatur divinitatis gloria videri ex ea gloriâ, seu luce, quæ illi necessariò conjuncta est, quia ab illâ solâ, ut à principio conaturali oriri potest. Itaque non dicitur extrinsecus ad venire, quia nō potuit, nec debuit produci in subjecto extraneo atque sepato à divinitate, sed in subjecto conjuncto, est enim splendor dignus Deo, & est gloria quasi unigeniti à Patre: quare ob unionem, & dependentiam reddebat sensibilem Divinitatem: uti anima fit sensibilis per corpus: & Christi corpus fit sensibile in Eucharistiâ per panis accidentia ipsi conjuncta. Denique uti auctor librorum de Mirabilibus Scripturæ lib. 3. cap. 10. loquitur: Sicut per carnem Divinitas illuxit, sic & caro illuminata à Divinitate per vestimenta radiavit. Vide ordinem, caro vestem illuminavit, Divinitas carnem, vestis candor splendorem ostendit corporis, & corporis fulgor latentem Divinitatem, licet in istis sit aliqua disparitas.

Ex dictis apparet cum hoc mysterium pertineat ad Christi Domini Divinitatem confirmandam, eam penè sensibili modo esse manifestatam. Nam præter consensum mirabilem figurarum quæ in Legesunt significatæ per Mosem: & Prophetarum in Eliâ Prophetâ (unde Damascenus: Eo nomine Moyses & Elias astiterunt, ut Legis ac Prophetarum personam explerent, Christus autem medius, quia hæc omnia conciliavit. Et propterea dicitur à Luca, eos locutos esse *de excessu, quem completurus erat in Ierusalem*) Ad hæc, præter miraculorum testimonia, quorum maxima autoritas in Mose, & Eliâ, quod significatur in Apoc. cap. 11. *Hi sunt dua olive & duo candelabra, in conspectu Domini terra stantes, &c. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetia ipsorum: & potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem,*

& percutere terram omniplaga, quotiescunque voluerint. Præter hæc omnia, inquam, quæ in ejus Divinitatis confirmationem, concurrunt ipso penè auditu & visu ipsamet in hac transformatione percipitur. Etenim fit sensibilis per gloriæ convenientē sibi personæ divinæ: Auditur sensibiliter vox Patris, testimonium dantis Filio: Et apparent Moyses & Elias, quia ailas promissa visio Divinitatis. Adverte autem dici quòd *nubes lucida obumbravit eos*: nec enim jam sunt in nube caliginosâ, uti olim Moyses: unde Damasc. Olim ille Dei spectator divinam caliginem subibat, Legis videlicet opacitatem sub indicans: *umbramenim futurorum lex habebat non veritatem*: nec Israël in Moysis faciem quæ abolenda erat, intendere poterat: Nos autē revelatâ facie gloriæ Dñi. intuemur à gloriâ in majorem gloriâ transformati (vide transfigurationem) tanquam à Dei spiritu, qui in nube significatur: ipse enim in umbrat, secundum illud, *Spiritus sanctus obumbrabit tibi*: ac proinde *nubes lucida non caliginosa obumbravit.* Hinc. S. Petr. Epist. 2. cap. 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucerna lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris*: Ex quibus verbis patet, Prophetas fuisse instar lucernæ, cujus lux admodum tenuis est atque exigua: hinc autem, postquam ipse Sol venit, tanta luce eluxit, ut ipsis penè sensibus percepta fuerit.

Hinc factum ut Apostoli sæpissimè hanc mirabilem visionem in medium adduxerint ad fidem sibi conciliandâ, & ad probationem Divinitatis Christi, ut ostenderent multò magis habendam fidem Christo, & sibi, quam olim Moyse, contra Iudæos qui dicebant Ioan. 9. *Nos scimus, quia Moyse locutus est Deus, hunc autem nescimus, unde sit*: unde Ioan. in Evan. c. 1. *Vidimus gloriam ejus, quasi gloriam unigeniti.* Id est, Filij naturalis Dei, qui unicus est, cum adoptionis multi sint filij: ut

ut enim Sol aliter fulget, quàm stellæ, ita ipse aliter quàm Moses & alij Sancti. Idem 1. Epistolâ cap. 1. *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostra contrectaverunt de verbo vite: Item quod vidimus, & audivimus, annunciamus vobis.* Hilarius canone 2. fide dignus est, qui & audivit, & vidit. Et S. Petrus Epistolâ 2. c. 1. *Non enim doctas fabulas secuti* (Hieron. ad Galat. 3. Græci eruditam vanitatem appellant) *notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & presentiam,* (id est adventum, quod multi de secundo adventu intelligunt) *sed speculatores facti illius magnitudinis: accipiens enim (pro accepit) à Deo Patre honorem & gloriâ, voce delapsâ ad eum huiuscemodi, à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso, in monte sancto;* sicut igitur Moysi adhibita fides, quia Deus ei locutus est, ita etiam Apostolis, & ad quos Deus Pater loqui perhibetur ac multò magis Christo de quo, & ad quem est sermo. Ex dictis

Collige 1. Quod principaliter intendimus, Fidem nostram ex hoc mysterio pæne evidentiam accepisse ex usu sensuum ad quos pertinet cognitio, nempe ex visu atque auditu, immò spectatis omnibus circumstantiis certitudinem, atque ineffabilitatem.

1. enim tres fuere discipuli. *In ore autem duorum vel trium testium stabit omne verbum:* Illi verò nihil causæ habuerunt, cur alios deciperent, præsertim cum essent vitæ integerrimæ: de facto verò noluisse decipere, vel hinc constat, quod pro eâ re non dubitarint mori: quin etiam ex Apostolis qui primus mortem appetiit, fuit Iacobus huius spectaculi testis: Immò tres Evangelistæ mentionem huius rei fecerunt, Matthæus, Marcus, & Lucas, & Petrus ipse quasi quartus Evangelista in ep. 2. cap. 1.

2. Ut scias non esse deceptionem, quod erat ignominia non id Christus dissimulavit, nam sexto die post annuntiatam mortem, transfiguratus est, uti Evangelistæ notarunt, immò in ipso gloriæ apparatu mentio facta est Passionis: ut enim ait Evangelista *loquebantur de excessu, quem completurus erat in Ierusalem,* hoc est de morte dedecoris plenissimâ.

3. Quia spectaculum erat planè divinum: & ob gloriam; & ob vocem.

4. Quia ad divinam Providentiam spectat, ut in re tanti momenti, qualis est illa, ne ulli immeritò divinitas tribueretur, nemo deciperetur, eo modo ut fraus detegi non posset.

5. Quod Christus ad vanam gloriam id non subornavit, patet, quia discipulis suis, ne id ante mortem suam evulgarent, interdixit, quod illi sedulò observarunt. Quare illud mysterium magni facere debemus, quod ter in anno Ecclesia repetit, Sabbatho ante Dominicam 2. Quadragesimæ, ipsâ Dominicâ, & die sextâ Augusti, quâ hoc festum celebratur, & ex majorum traditione accidisse didicimus, ipsâ meridie ad ipsius Solis pudorem: ut & illius recordatione, fides nostra stabilenda est: sicut enim Apostoli qui visuri erant dedecus, & Passionem Christi, eius gloriæ quam vidissent recordatione obfirmati sunt, ita nos quoque tanti Mysterij memoriâ roborari debemus contra innumeras tentationes adversus Christi divinitatem.

Collige 2. Inexcusabilem esse nostram incredulitatem, quandoquidem Deus fidem nostram modis omnibus adjuvit: nam non tantum providit infallibilia, quæ nemo in dubium revocare posset, sed etiam conformia; ne difficultatem credendi ex parte nostra obtenderemus: quoniam enim si tantum sensibilia dedisset testimonia, dicturus erat aliquis, hæc vel humano, vel Dæmonis artificio fingi posse, *dedit quæ nullâ ratione possunt refelli*

refelli: unde S. Petrus post allatum Transfigurationis testimonium hæc subdit 2. Epist. cap. 1. *Et habemus firmiorem Propheticum sermonem cui bene facitis attendentes, & quasi lucerna lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris;* Quibus verbis significat Petrus præter testimonium datum à cælo Christo Domino, aliud ei datū à Prophetis, quod nemo potest inficiari, nemo etiam refellere: ut enim dicitur Apocal. 19. *Testimonium Iesu est spiritus Prophetia.* De qua re præclare S. August. serm. 27. de verbis Apostoli. Quis nostrum non miretur delatâ voce de cælo certiore Propheticum sermonem ab Apostolo dictum esse? certiore sane dixit, non meliorem, non veriorem: Tam enim verus ille sermo de cælo, quam sermo Propheticus, tam bonus, tam utilis: Quid est ergo, certiore, nisi in quo magis confirmetur auditor? Quare hoc? quoniam sunt homines infideles qui sic detrahunt Christo, ut dicant eum magicis artibus fecisse, quæ fecit. Possent ergo infideles etiam istam vocem delatam de cælo per conjecturas humanas, & illicitas curiositates ad magicas artes referre. Sed Prophetæ antea fuerunt, non dico istam vocem, sed ante Christi carnem: nondum erat homo Christus, quando misit Prophetas: Quis eum dicit magum fuisse? si ergo magicis artibus fecit ut coleretur & mortuus, nunquid Magus erat antequam natus? Ecce quare ait Apostolus Petrus, *Habemus certiore Propheticum sermonem:* Vox de cælo quâ fideles admoneantur: Propheticus sermo quo infideles convocantur. Plura etiam habet tract. 35. in Ioannem, ubi ostendit in Prophetijs nullum esse periculum deceptionis, quasi Christiani quæ vidissent fieri, ea tanquam prædicta ventura, in libris conscripserint. Quia (inquit) contra inimicos Paganos occurrit nobis aliorum testimonium inimicorum, proferimus codices è Iudæis, &

Tom. II.

respondemus; nempe & vos, & illi, fidei nostræ estis inimici. Ideo sparsi sunt per gentes, ut alios ex alijs convincamus inimicis. Et quia è contrario dicere aliquis potuisset sese crediturum, si oculis vidisset, aut Deum audisset, attentâ nimirum hominum conditione, qui ferè non nisi sensibus tanguntur, propterea hoc etiam testimonium non recusavit. 2. Pet. 1. *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & presentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis: accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsâ ad eum huiuscemodi à magnifica gloria. Hic est Filius meus, &c. Et hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso, in monte sancto:* ut nimirum omni ex parte inexcusabilis esses ô homo. Quem modum deinde in pluribus observavit: ut enim pœnas inferni crederes, Energumenos esse permisit, ut viderent homines quâ ratione à Dæmonibus damnati torquerentur: Item ut quæ in Scripturis de pœna luxuriosorum hominum dicuntur, crederentur, in luxuriosis hominibus insigne pœnarum exemplum reliquit. Vnde Iudas in Epistola sua, *Sicut Sodoma & Gomorrha & finitima civitates, simili modo exfornicata, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes.* Et S. Petrus Epistola 2. cap. 2. *Et civitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, everfione damnavit: exemplum eorum qui impiè acturi sunt, ponens:* quâ de re ita scribit S. Chrysost. homil. 4. in epist. ad Rom. Vidimus enim vidimus, & in præfenti quoque vitâ, gehennæ effigiem, quando quidem enim multi futuri erant, qui ijs fidem minime habituri essent, quæ post resurrectionem futura sunt, nunc cum ijdem audiant esse ignem inextinguibilem, à rebus præsentibus illos Deus erudit: Tale est igitur Sodomorum incendium & vastatio illa, id quod sciunt ij qui ad ea loca profecti, plagam illam divinam,

M

ac

ac cœlestium fulminum opus oculis subjece-
re. Eodem modo ut in Eucharistiâ Christum
adoraremus præter Scripturæ testimonia in-
numeris id ostendit miraculis: An non in a-
gro Tholosano, præsentibus innumeris ho-
minibus, uti refert S. Antoninus, Asinus mul-
tis diebus jejunos, supplex ad Eucharistiæ
conspicuum prociidit? Nonne ante aliquot
annos in Burgundiâ apud Fanernum pagum,
sola Eucharistiâ ab incendio sacelli libera fuit?
Nos tamen tantis præfidiis excitati ad fidem
perstamus increduli, atque infideles. Quibus
non dignum supplicis, qua non digni ge-
henna? Sed nimirum uti de Judæis in simili
causa Christus dixit Luca 7. *Iustificata est sa-
pientia ab omnibus filiis suis.* Quia nimirum
nullam viam, nullumque modum omisit,
quo filiis suis, quos erudiendos susceperat,
persuaderet, ne scilicet ullus calumniaretur,
non esse cõvenienti modo homines vocatos:
qui n. majore sunt intelligentia præditi, illi ex
Prophetis, ex Scripturis, ex rationibus diffi-
ciliores convinci potuerunt; qui verò sim-
pliciores, magisque addicti sensibus, sensibili
penè modo fidei nostræ mysteria percipere
potuerunt. Quid enim homo incredulus
potes objicere, quid causari, quid tuæ in-
credulitati prætere? Vis Scripturas? Vis
Prophetias, apertas, an reconditas? Vis sæcu-
lorum auctoritatem? unitatem fidei? an à vi-
tæ sanctitate, an ab omnibus signis, an à mira-
culis evidentibus, quæ negari non possunt?
Videre etiam vis & oculis usurpare, atque
etiam audire? Hæc omnia abundanter tibi

sunt provisâ, nihil frustra potes desiderare:
Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis.
Nam & ij qui crediderunt, justificant sapien-
tiam Dei, atque exemplo suo ostendunt suffi-
cienter alios vocatos esse. Quot enim ma-
nus dederunt visis atque auditis miraculis,
Neque est probabile tot nationes conve-
nisse, ut posteritatem & seipsas quoque
mutuò deciperent, idque tanto dispendio, ut
fidem suam & sanguine & vitâ testarentur.
Quot fuerunt qui cognita doctrinæ uniformi-
tate, & continuatione successionis, manus
dedere? Eadem quoque ratione Sapientia
ab ijs qui non crediderunt etiam justificata
est; dum enim negant se credere, quod
quædam ipsi desiderarent ad fidem donan-
dam rebus quæ proponebantur, quæ si da-
rentur, sufficere ipsi judicabant, cum ea quo-
que media, & modos Sapientia non omi-
serit, illi etiam omnes Sapientiam justificant,
quia scilicet omnibus modis homines ad fi-
dem vocavit, & nemini etiam quod petebat,
recusavit. Illud igitur probatum maneat,
hoc Transfigurationis mysterio fidem no-
stram roborari, & quandam quasi eviden-
tiam nancisci; ita ut quilibet sit inexcusabilis.
Nos autem & ait Apostolus 2. Cor. 3. *Revelata
facie gloriam Domini speculantes in eandem i-
maginem transformamur à claritate in clarita-
tem tanquam à Domini Spiritu, quod fiet in
gloria cœlesti, ad quam nos per-
ducat DEI Filius.*
Amen.



DOMINICA SECUNDA
IN QUADRAGESIMA
CONCIO SECUNDA
DE TRANSFIGURATIONE.

In Transfiguratione Fides nostra evidentiam accepit, Spes certitudinem, Amor extasim atque excessum.

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.

Matth. 17.



SENTIO Christiani animi intus mihi tenere, & quodammodo rapi, occursum prodigiorum quæ hodie intueor. Intima quadam latitia me abripit, corque meum, sancta quadam oblectatione affectum conticescere non potest. Videtur mihi cælum amplius quam pro more illuminatum, ac nescio an vel Sol in terras descenderit, vel hodiernus dies peregrit geminos Soles: *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Delectatio ita universalis est, ut ipsi etiam montes similes sint agniculis qui exultant & saltitant in campo. Hermon quidem in Christi Baptismo, in illa

Patris voce, *Hic est Filius meus dilectus*, quæ primùm audiri cœpit. Nunc autem (inquit S. Joannes Damascenus orat. de Transfigur.) Exultat ac lætitia perfunditur Thabor, divinus, inquam, & sanctus ille mons, non minus, gloria, ac splendoris ratione, quam ingenti altitudine sublimis: de gratiâ enim cum cælo certat: Thabor quippe, ut ait S. Hieron. in Oseam; idem est quod lumen veniens. At enim nonne mutatus est omnino in Paradisum? Ejus claritas superat cæli claritatē; Illius incolæ, non minores sunt; Gloria est major; Si statuatur in illo Tabernacula quæ S. Petrus optabat, terra pl⁹ valebit quâ cælum; Illic Filius Dei accipit testimoniū suæ divinitatis; Ejus corpus experimētū facit vestitū gloriæ; Moyses recipit effectū postulationis lucis; Elias zeli sui premiū

Petrus fidei; Jacobus animatur ad moriendum ante ceteros omnes Apostolos pro confessione divinitatis Magistri sui, cuius redditur testis; Joannesque videt & audit, quod aliquando tonabit potius quam prædicabit cum admiratione universorum. Assumpsit Petrum, ait Damascenus, quia Antistes totius Ecclesiæ; & quia quod à Patre acceperat confessus fuerat, meruit idem sensibiliter à Patre accipere, atque oculis usurpare: Jacobum quia ipsius causa primus mortem ex Apostolis erat subiturus: Joannem ut tanquam purissimum Theologiæ organum, illud postea intonaret, *In principio*, unde etiam tonitruum Filius appellatus est. Postremo, & in quo insisto in hoc sermone, Fides nostra inde evidentiam, Spes certitudinem, Amor autem extasim atque excessum accepit.

Incipiamus à Fide, quã ajo accepisse evidentiã quantũ ejus natura pati potest, quia nõquã potest esse absque aliqua specie obscuritatis, *quod enim quis videt, quomodo credit*, quod significat nubes ea mirabilis quæ Apostolos involvit: *Nubes lucida obumbravit eos*; quæ scilicet quamvis luminosa umbram tamen efficit: Et si aliunde minimè sit sine aliqua claritate: *Omne quod manifestatur lumen est*, Ephes. 5. cum omnis cognitio sit manifestatio, & lumen; unde fideles dicuntur ab Apostolis, *illuminati: in quibus illuminati magnum certamen sustinuisistis*. Sed nullibi tanta manifestatio quàm hic: sive objectum fidei spectemus, hoc est res quæ manifestantur: sive modum ipsam quo manifestantur, nimirum quodam sensibili modo, auditu, & visu;

Quoad objectum attinet. Hic sit Revelatio.

1. Trinitatis. Vnde Damascenus ita loquentem Moysen inducit. Audi spiritualis Israël quæ sensibilis Israël audire non potuit: Dominus Deus tuus, Dominus unus est; unus enim Deus est qui in tribus personis agnosci-

tur: Vna quippe Divinitatis essentia est; Patris testimonium dantis; & Filii cui testimonium datur, & inumbrantis Spiritus. Pater in voce, Filius in luce, Spiritus Sanctus in nube, ipse enim obumbrat.

2. Divinitatis Christi Domini. Idque duplici modo. 1. testimonio Patris. *Hic est Filius meus dilectus*, id est, ex S. Damasceni expositione, (quam Superiori concione jam laudatam, ut illustrem tamen repetimus) sæculis omnibus antiquior, solus ex solo unigenitus, sine tempore, & sempiternè ex me progressus, quique & ex me, & in me, & mecum, & semper est, nec existentia ratione me posterior: Ex me, inquam, ut ex paterna causa, atque ex mea substantia genitus, unde etiam mihi consubstantialis est: In me, quia sine ulla separatione, atque excessu genitus; mecum denique, ut qui per se perfecta persona sit, ac non sermo qui ore proferatur ac in aërem dilabatur, &c. *Hic est Filius meus*, ille inquam gloriæ meæ splendor, ille substantiæ meæ character, per quem Angelos feci, stabilita terra, fundamentum cælum, omnia portans verbo virtutis suæ, &c. atque illud est nomen, *quod est super omne nomen*: *Cui enim Deus dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te*. 2. Verbis res acceperunt, nam hoc Patris testimonium ipso opere comprobatur, illa scilicet mirabili Transfiguratione, qua facies Christi Domini resplenduit sicut Sol: qua in visione Patres agnoscunt certum divinitatis testimonium, immò per ipsum lumen visam esse ab Apostolis divinitatem, ob peculiarem quandam connexionem hujus luminis cum divinitate non absolutè sumpta, sed ut unita: Itaque rectè S. Hilarius canone 2. *Filius Dei, auditu conspectuque monstratur: ob vocem Patris, & lumen Filii*.

3. Revelatio est unionis duarum naturarũ. Opinio fuit sancti Damasceni, Solem, licet unus sit, duplicem tamen substantiam habere, alteram

alteram lucis, quæ priùs orta: alteram corporis quod postea creatum est: corpori autem in seipso secundùm se totum manenti lumen perpetuum unitum est, & in omni terræ partes diffunditur. Ita Christus sempiternum lumen de lumine, in corpore creato factus, unus est iustitiæ Sol, unus Christus in duabus naturis à divisione remotis agnoscendus: splenduit autem corpus, ut Sol, quia ille splendor lucis, fuit verè corporis, quoniam quæ Verbi Incarnati fuerunt communia, tam ad carnem quàm ad divinitatem pertinebant. Idem in Carmine de Transfiguratione comparat unionem duarum naturarum rubo ardenti, quem Moyses conspiciatus est: Ibidem subdit, Divinitatis carbonem nobis ostendisti, peccata exurentem, animis lucem afferentem.

4. Revelatio est complementi in Christo totius Legis & Prophetarum: quia de re: Damascenus. Hodie veteris testamenti auspex ac divinus Legissator Moyses, in monte Thabor, Legislatori Christo, servilem in modum, tanquam hero adstat, atque humanitatis ab eo assumptæ cognitione illustratur: Vidit olim typicè quæ sunt posteriora Dei, nunc Dei gloriam liquidò aspicit, sub petra foramine coopertus, quæ quidè petra, Christus est, incarnatus Deus, qui carnis suæ, tanquam per exiguam quandam rimam strictim aperuit, immensòque lumine, atque omne oculorum robur superante, altantium oculus perstrinxit. Eodem pertinet, quod sit ostensus author utriusque testamenti, cum enim novum sit veteris complementum, ad eundem Christum utrumque pertinuit: verus quidem, ut quod umbra significabat, & pollicebatur futura de ipso: novum autem ut quod exhibebat ea quæ per veteris erant promissa. De quo sic Damascenus: Hodie, veteris, ac novi Testamenti Dominus Iesus Christus agnoscitur, ille,

inquam, mihi & re & nomine charus, ille verè dulcissimus, summèque expetendus, atque omnis suavitatis cogitationem excedens, &c. Hodie ille novi Testamenti antesignanus qui Christum Dei Filium apertissimis verbis, prædicavit, dicens, *Tues Christus Filius Dei vivi*, veteris auspiciem utriusque donatori adstantem intuetur, alràque voce proloquentem. Hic est ille, quem velut me, Prophetam excitatum iri prædixi; velut me, inquam, utpote hominem, ac novi populi ducem: supra me autem, ut & mihi, & rebus omnibus dominantem, quique & mihi & tibi, utrumque Testamentum, hoc est vetus ac novum sanxit.

5. Revelatio est Redemptionis mundi. *In quo mihi bene complacui*, neque enim hæc verba significant quem amavi, vel quo delector, vel in quo conquiesco: uti non satis aperte aliqui interpretantur, sed ex vera verbi *εὐδοκῆν* significatione, in quo, id est, per quem, placatus, & reconciliatus sum mundo; hoc est placari, & reconciliari decrevi; in quem cum intueor, omnem iram, & offensionem pono. Damascenus: benigna si quidem Patris voluntas in unigenito Filio rerum connexionem effecit. Paulus de Christo loquens, Eph. 1. ait, *Secundum beneplacitum ejus quod proposuit in eo*. Id est, Deus proposuit in Christo suum bene placitum executioni mandare: hoc autem beneplacitum est gratuita voluntas homines salvandi, atque redimendi: quæ verba significant Christum non tantum esse Legislatorem, sed etiam Redemptorem, Psal. 68. *Tempus beneplaciti Deus*. Unde ex Luca. *Moses & Elias dicebant excessum ejus*, (id est exitum seu mortem) *quem completurus erat in Ierusalem*: Christus enim morte interveniente nos redemit: uti docent omnes Scripturæ.

6. Revelatio est abolitio veteris legis.

ac novæ institutio proposito novo Legislatore, cujus qui vetus Testamentum instituit, fuit tantum figura & Propheta: Damasc. Hodie utriusque Testamenti Deus, Iesus Christus agnoscitur, de quo Moses dixit: Hic est ille, quem velut me Prophetam, excitatum iri dixeram, ut me, inquam, utpote hominem, ac novi populi ducem; supra me autem, ut mihi, & rebus omnibus dominantem, qui utrumque fanxit Testamentum: Unde dicitur ad Apostolos: *Ipsam audite*, Qui enim hunc suscipit, me suscipit, qui eum non herili autoritate, sed paterno modo misit. *Ipsam audite*, habet enim vitæ æternæ verba: hæc sacræ hujus rei conclusio est, hæc mysterii potentia, Hic est, non servus, non legatus, non Angelus, sed Filius meus dilectus, *Ipsam Audite*. Hæc ille. Tum subjicit leges ipsius, quæ aliquid addunt, ad leges Moysis. Quocirca (inquit) eum audiamus his verbis utentem, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Non occides, immò nec temerè adversus servum tuum irascaris. *Non Moxhaberis*, immò nec curiosè alienam pulchritudinem aspicias: *Non peierabis*: immò nec omnino quidem jurabis. Non cuiquam sua eripies, immo potius petenti te da, & eum qui vult à te mutuari, non adverteris, & eum qui tibi tollit, ne prohibeas: *Diligite inimicos vestros, Benedicite maledicentibus vos, bene facite illis qui oderunt vos, orate pro calumniantibus, & persequentibus vos. Nolite judicare, ut non judicemini; dimittite, & dimittetur vobis*. Ipsa est, ut modo dixit idem Pater, quod prædixerat Moses Deuter. 18. *Prophetam de gente tuâ, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*: ad quam historiam

multi putant hoc factum penitus alludere. Unde Moyses sumptus in testem: hic etiam est mons: hic nubes, vox Dei: hic facies lucida: hic timor Apostolorum, quorum omnium figura ostensa est in monte Sinai. Deus autem meminit pacti, se nimirum non locuturum populo, sed se daturum eis Prophetam, itaque subdit. *Ipsam audite*. Altera figura est in Iolue, qui Moyse successit, cui sic Deus loquitur. *Hodie incipiam te exaltare coram omni Israël, ut sciant, quod sicut cum Moyse fui, ita & tecum sim*: Veritas impletur in Christo, cum exaltatus est testimonio Patris. *Ipsam audite*: non mundum, cujus sunt iniquæ leges, & impiæ. Huc faciunt verba S. Pauli Heb. 1. quæ satis consonant cum ijs quæ dicuntur Deuter. 18. *Qui autem audire noluerit, egoulcor existam*

7. Revelatio est potestatis Christi in omnia. Damascenus in Carm. de Transfiguratione sic ait. Tibi ò Christe ut cælo dominanti, & terræ regno potenti, & subterraneorum principatum obtinenti, è terra quidem Apostoli adstiterunt: è cælo autem Elias Thebætes: è mortuorum autem numero Moses.

8. Revelatio Resurrectionis mortuorum. Damascenus. In hoc mortuorum resurrectioni fides adstruitur, ac mortuorum ac vivorum Dominus esse declaratur, ut qui scilicet ex mortuis Moysen assumpserit, vivum adhuc Eliam testem adhibuerit. Quod hinc discimus, Resurrectionem futuram in eadem carne, & in eodem corpore, servato unicuique suo vultu, atque lineamentis, addito tamen splendore, unde dicitur Christus Transfiguratus, non essentialiter mutatus, vel secundum substantiam, quod supra observatum est.

9. Revelatio secundi adventus in Majest. & in judicandis vivis, & mortuis: Nam Transfigurati-

rationem multi volunt, atque inter alios Basilii Seleuciae, figuram fuisse secundi adventus, unde species majestatis, unde nubes, & vox quae terrorem incutit: hinc Moyses & Elias, quos Ioannes docet esse venturos: ait enim dandam potestatem ignem de caelo evocandi, & tenendi caelum: quod Eliae convenit: & potestatem mutandi elementa, & aquas in sanguinem, & percutiendi omnibus plagis: quae omnia denotant Mosem.

10. Revelatio Gloriam futuram, vel in similitudine Christi secundum illud ad Philippens. 3. *Qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae, secundum operationem qua potest subicere sibi omnia*: Vel etiam in Moysse & Elia quos ait S. Lucas visos esse in Majestate propter lucem eximiam.

11. Revelatio ex Concil. Trident. sess. 6. contra Haereticos, Praeter fidem & fiduciam in Redemptorem, necessariam quoque esse mandatorum observantiam: Ita enim loquitur can. 21. Si quis dixerit Christum Iesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant, anathema sit: quae doctrina fundatur in illis verbis. *Ipsam audite*: sicut praecedentia, Redemptorem notant, *In quo mihi complacui*: id est in quo placatus sum. Ex quibus constat plurima in hoc Mysterio fidei objecta nobis revelata fuisse. Iam quod ad modum Revelationis attinet.

Haec omnia manifestata sunt penes sensibili modo, uti superiori concione demonstravi, & ita ex hoc mysterio Fides nostra evidenter quamdam accipit.

Sed & secundo loco, ex eodem Spes nostra certitudinem & firmitatem assecuta est, unde ad tam eximij spectaculi conspectum sic exclamat S. Damasc. o spes, beatitudinem omnem excedente! o Dei munera cupiditate omnem vincencia! o beneficia sub petitionis mensuram minimè cadentia! o donum non tam accipiente, quam dante dignum!

1. Quidem quoniam ut ait Apostolus Heb. 11. *Est autem fides sperandarum substantia rerum*, seu hypostasis, *argumentum non apparentium*, seu Elenchus & convictio, hoc est ostensio atque demonstratio. Confirmata itaque Fide necesse est corroboratam fuisse Spem: neque enim vana & futilia nobis proponuntur, sed certa & indubitata: Unde Petrus in 2. sua Epistola cap. 1. *Non enim doctas fabulas secuti, &c.* Ut ne quis putet vano fundamento inniti Spem nostram, cum tam magna sint quae speramus, & vires nostras superantia.

2. Quoniam Spei nostrae objecta proposita sunt 1. Corporum Resurrectio in Moysse suscitatio: 2. Gloria essentialis & accidentalis, illa in Christi corpore luminoso, haec in vestimentis candidis: 3. Regnum & haereditas in illis verbis. *Hic est Filius meus dilectus*, in quibus fundatur omnis adoptio: 4. Societas Sanctorum & ejusdem gloriae participatio in Moysse & Elia, unde Damascenus: videbant in Moysse, & Elia conservis suis gloriam, atque animi fiduciam, quae re animabantur discipuli ad majorem zelum concipiendum, atque ad suscipienda certamina graviora, ut lucri cupiditas homines adducit, ut corpori suo minime parcant.

3. Quia haec omnia, quae speramus, ipsi penes manibus attigerunt, & oculis praesentia usurparunt, Resurrectionem, gloriam, & regnum. Quod si antiqui Patres, quos Apostolus Hebr. 11. Senes, seu Seniores appellat, quia primis temporibus fuerunt, beneficio fidei, quae res futuras & nondum existentes praesentes facit, securi defuncti sunt, *non acceptis re promissionibus, sed a longe eas aspicientes, & salutantes*, instar navigantium, ait Chrysostomus, qui antequam littori appropinquant vident urbes a longe easque salutant; Quid de illis dicendum est, qui omnia penes oculis usurparunt? Quare hanc spem recte vocat Damascenus Beatitudinem omnem excedente, & Dei munera cupiditatem omnem vincencia

Et propterea Petrus hinc volebat abire dicens, *Faciamus hic tria Tabernacula*. Quia scilicet *bonum est nos hic esse*: eò usque ut non jam Spes esse videatur quæ futuram civitatem inquirat, sed præsens quædam possessio: nam quid melius habet gloriæ possessio, nisi quod non sit alterius gloriæ intuitio sed propriæ possessio.

4. Quia non tantum quæ speremus ostensa sunt, & sic ostensa ut ferè oculis subiecta sint, sed unde sperare debeamus ostensum: scilicet à Mediatore, quem Pater posuit *propitiationem pro peccatis nostris*, secundum illud. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui*: Deinde mentio facta in ortu Christi, unde omnis Spes nostra: quid enim in tantâ gloriâ loquebantur? nihil aliud nisi *excessum quem completurus erat in Ierusalem*, ut scias gloriâ, & Christi Passionem esse connexa.

5. Adverte autem cum nihil ita Spem contere soleat quam hujus vitæ incommoda, persecutiones, passiones, mors, & adversa omnia: (nam si minora nobis eripiuntur, quomodo majora dabuntur? si nec ipsa præsentia nobis relinquuntur, quomodo futura speramus?) Propterea hæc summa bona ostenduntur cum sit mentio Passionis: *Loquebantur enim de excessu*, cum apparerent in majestate: Et hoc sentu dixit Apostolus Rom. 5. *Gloriamur in spe gloria Filiorum Dei: non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur*: est enim ejus objectum: *patientia autem probationem*: nam si quisque vires suas experitur, certè an sincerè Deum quærat agnoscit: *probatio vero spem*, nam si in tribulatione permanet, semper erit constans: *Spes autem non confundit*, quia benefundata est. Ex quibus omnibus constat in hoc mysterio Spem nostram corroboratam esse, atque invenisse firmitatem.

Superest ut de Amore dicamus quem in hoc mysterio extasim atque excessum passum

esse diximus: cum huc concurrerint omnes amoris illecebræ, præpositis à Patre æterno, omnibus Filij sui perfectionibus, suoque ipsius exemplo. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite*.

In primis enim verbis *Hic est Filius meus dilectus* ea omnia continentur quæ ad ejus dignitatem & gradum, & magnitudinem spectant. Nam Pater æternus singulari quodam modo, & incommunicabili Filium suum appellat, quâ ratione nullam creaturam: In quâ voce hæc agnoscit Apostolus Hebr. 1. *In Filio quem constituit heredem universorum* (id est Dominum) *per quem fecit & sæcula: qui cum sit splendor gloria, & figura substantia eius, portansque omnia verbo virtutis sue, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis: tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, hodie genuite?* Hinc dicitur ab eodem Apostolo 2. Corinth. 4. *Imago Dei, propter filiationem: imago inquam substantialis, ut scias æqualitatem, sicut Pater & Filius sunt ejusdem naturæ. Unde sequitur Deum esse: neque enim uti dicitur ad Philipp. 2. Rapinam arbitratus est esse se equalem Deo: item supra omnem creaturam existere uti dicitur in Epist. ad Coloss. cap. 1. Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creature: quoniam in ipso condita sunt universa in caelo & in terra; visibilia, & invisibilia: sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipso est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Hinc factum ut eum etiam ut hominem propter unionem cum Verbo exaltaret Deus supra omnem creaturam, secundum illud Ephes. 1. *Constitvens ad dexteram suam in caelestibus, supra omnem Principatum & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.*

Porro cum hæc Christi Domini dignitas, multis modis innotuerit secundum illud Rom. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei*, id est demonstratus & declaratus est fuisse Filius Dei, *in virtute* per miracula, *secundum Spiritum sanctificationis*, per Missionem Spiritus Sancti cum varijs donis, uti promiserat: *Ex Resurrectione mortuorum* Iesu Christi Dñi. nostri, id est suâ, posito nomine loco pronominis, quia scilicet suâ virtute resurrexit: quibus probationibus eluxit Divinitas Christi ita ut dissimulari non potuerit, secundum illud Ioan. 1. *Et vidimus gloriam eius, quasi gloriam unigeniti à Patre*. Nusquam tamen evidentiùs ad oculum & ad aures & sensus sic innotuit ea Divinitas sicut in Transfiguratione, ipso Patre attestante. *Hic est Filius meus dilectus*, ut jam dicere possit quod dixit Ioan. 8. *Testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater*. Iam cum fundamentum amoris æstimativi sit magna eius qui amatur æstimatio, hæc autem pendeat ex majori cognitione dignitatis ac meriti, cum hinc maxima orta sit æstimatio dignitatis Christi, necesse est hinc accensum esse maximè in Christum amorem.

Quod autem dicitur *dilectus*, certè à Patre, cujus est Filius. Quomodo enim Filium suum sibi æqualem, unigenitum, quem habet in sinu, quemque extra se non genuit, non diligit? Certè tanto impetu & tam arcto complexu, ut Spiritum Sanctum producat amando, igitur infinitè, & divino modo. Nec hominè factū amare desinit. Unde singulariter *dilectus* appellatur, neque enim minus Filius & tanti Patris, secundum illud. *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*: quantum autem in eo statu, dilectus sit, significavit Ioannes Baptista, Ioan. 3. *Pater diligite Filium, & omnia dedit in manus eius*: nam cum in generatione æterna suam omnè substantiam, suasque omnes perfectiones dedisset, potentiam, sapientiam, bonitatè, immensitatem, &c.

Tom. II.

homini factò, novo quodam modo sic dedit ad quosdam effectus, ut ipsi humanitati subijcere tanta dona quadam ratione visus sit: scilicet ut quoties vellet Christus homo, Dei potentiam ad patranda miracula, bonitatem ad condonanda peccata, & autoritatem ad judicia exercenda applicaret: quâ etiam se spoliare Pater visus est ut Filium ornaret secundum illud Ioan. 5. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudiciū dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*: Quid igitur mirum si ut ait Apostolus Ephes. 1. *Omnia subiecit sub pedibus eius*: etiam Angelos omnes quibus *cum introduxit primo genitum suū in orbem terrarum, dixit, & adorent eum omnes Angeli eius*: Imò & ministrent ei uti solent famuli suo Regi. Quantum ergo Pater dilexit Filium ut totam suam aulam Filio Pater subiecerit, omnem gloriam suam, majestatem, excellentiam, potentiam communicarit, ut in toto orbe unâ cum Patre æqualiter adoraretur, cum antea tota illa gloria uni duntaxat Patri videretur à mundo deferri, ut nimirum tanto exemplo amor noster succresceret, Quis enim amare eum recuset quem sic Pater dilexit? Nimirum *qui de celo venit super omnes est*. Et nos itaque illum super omnes diligere debemus, ut per excellentiam dicatur *dilectus*: juxta titulum Psal. 44. *Canticum pro Dilecto*.

Iam quod secundo loco dicitur *in quo mihi bene complacui*, significatur illum nobis à Patre propositum fuisse, ut per eum ipse nobis placaretur ac reconciliaretur. Id enim hæc verba significant *in quo mihi bene complacui*, id est per quem mundo placatus sum, & reconciliatus, hoc est placari, & reconciliari decrevi, juxta illud Apostoli Rom. 4. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*: Et ad Colol. 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem*

N.

ejus,

eius, remissionem peccatorum: Habemus itaque ab ipso primo prædestinationem nostram, Ephes. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum: Et modum prædestinationis, Rom. 8. Nam quos præcivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus: 2. liberationem ac redemptionem, ad Coloss. 1. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum: 3. Reconciliationem cum Patre, 2. Cor. 5. Qui nos reconciliavit sibi per Christum: Ibid. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, Et ad Coloss. 1. In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum: pacificans per sanguinem crucis eius, sive qua in celo sunt: 4. Iustificationem, secundum illud Rom. 4. iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem qua est in Christo Iesu: & cap. 5. Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. & 1. Cor. 1. In Christo Iesu qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio: 5. Omnia bona spiritalia, Ephes. 7. 1. Benedixit nos in omni benedictione spiritali, in celestibus in Christo sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: 6. Omnes gratias, Ephes. 1. In qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum: 7. Resurrectionem corporum. 1. Cor. 15. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: 8. Vitam æternam. Ioan. 17. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem visisti Iesum Christum. Hinc originem habent omnes illi tituli Re: emptoris Ephes. 1. in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum: Et Matth. 1. Et vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum: Item Sacerdotis & Pontificis, Hebr. 5. Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex, juxta ordinem Melchisedech. Et cap. 7. Hic autem est quod maneat in æternum sempiternum habet sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens, ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, &c. Item, Capitulis, Ephes. 1. Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, & ad Coloss. 1. Et ipse est caput corporis Ecclesie, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens: Ad hæc Sponsi, Patruelis, Primogeniti, Regis, & similibus passim in Scripturis, quæ nomina significant varios respectus ipsius ad nos & diversa vincula, quibus Christo alligamur, ut nimirum nulla amoris nostro deesset occasio. Sic enim videmus passim inter homines fieri, ut major sit amor, quo plures amoris necessitudines intersunt: ut nimirum amor noster in Christum non solum æstimatione esset maximus, sed etiam intensio, ut neminem ante illum diligeremus, sed neque magis quam ipsum.

Quod autem tertio subjicit. *Ipsam audite.* His verbis Pater auctoritatem dat Filio & potestatem & docendorum mysteriorum, & ferendarum legum: Unde nobis ei parere necesse sit: Constituit itaque eum omnium nationum Magistrum, Legislatorem, Consiliarium, Iudicem, Vindicem, ac Remuneratorem, secundum illud Isaïæ 33. Dominus enim iudex noster, Dominus legis noster, Dominus Rex noster. Dixi Magistrum: sic enim communissimo nomine Christus vocatus est. Matth. 23. *Magister vester unus est Christus*, cui convenirent omnes perfectissimi Magistri dotes: Summa scientia, atque Sapientia, ut nihil ignoraret, ad Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientie, & scientie abscondite.* Et Ioan. 1. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit.* Summa item Eloquentia, ut potest & qui verbum erat: unde convenienter proposuit quæ dixit: Psal. 77. uti refert Matth. cap. 13. *Aperiam in Parabolis os meum*

revelabo abscondita à constitutione mundi. Et
 Luca 4. *Et mirabantur in verbis gratia qua
 procedebant de ore ejus.* 2. Dixi Legislatorem
 cui obedientia debeatur: Itaque signanter dixit,
Ipsam audite: Ipsum est quod prædixerat
 Moyses Deut. 18. eum futurum Prophetam, ut
 pluries diximus: Unde significatur summa ejus
 sapientia, & indubitata sanctitas, ut nemo ve-
 reatur vel obedire jubenti, vel sequi consu-
 lentem: Erunt enim leges ipsius absque ullo
 errore & iniquitate, & ejus consilia cum sum-
 ma sanctitate: non quales hominum leges,
 quarum semper aliqua fuerunt aut iniqua,
 aut turpes, & indecora: & propterea illū ap-
 pellat Joannes c. 1. *Plenum gratia & veritatis.*
 Hinc habuit omnes perfectiones quæ cogita-
 ri possunt, ingenii, sapientia, prudentia, boni-
 tatis, justitia, æquitatis, authoritatis, virtutum
 omnium, & donorum omnium: *Ecco plusquam
 Salomon hic, plusquam Moyses, & alii
 omnes: nam de plenitudine ejus omnes accepimus:*
 neq; verò mirum videri debet, quoniam
 ut ait Apostolus ad Coloss. 2. *In ipso inhabitat
 omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & estis
 in illo repleti, qui est caput omnis principatus, &
 potestatis.* Et Psal. 2. *Ego autē constitutus sum Rex
 ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans
 præceptum ejus.*

Quæ omnes dotes quàm amabilem nobis
 exhibeant Christum, quis non videat? sed quis
 non sentiat? Verùm illis omnibus accedit
 summa ejus pulchritudo, potentissima amo-
 ris illecebra. Verba sunt Evangelista, *Et res-
 plenduit facies ejus sicut Sol, vestimenta autem
 ejus facta sunt alba sicut nix.* Certè ut ait Da-
 mascenus Orat. de Transfig. Cernitis quàm
 Sol hic noster pulcher sit, quàm decorus,
 quàm jucundus, quàm charus, quàm expe-
 tendus, quàm fulgidus, ac præclarus: quàm
 etiam vita hæc suavis, & amabilis, quam om-
 nes velut mordicus retinere student, nihilque
 non agunt, ut ne eâ priventur. Quanto igitur

lucem illam, & ex qua lux omnis illuminatur,
 & suaviorē, & magis expetendam esse putatis?
 & ipsammet vitam, à qua vita omnis vivifica-
 tur, & impertitur, in qua omnes vivimus, mo-
 vemur, & sumus, quanto tandē amabiliorem
 & jucundiozem? An non totus est dulcedo, ac
 totus desiderabilis? Nulla est oratio, nulla
 mentis agitatio, quæ hujus præcellentia mo-
 dum, conjecturâ assequi queat: comparationē
 omnem vincit, nec sub mensurâ cadit: quo-
 nam enim modo mensurâ definiti possit quod
 circumscriptionis expers est, nec vel ipsis
 mentibus comprehendipotest? Hoc lumen
 adversus omnem naturam palmam obtinet:
 Hæc vita est, quæ de mundo triumphavit. Hæc
 Damascenus. Qui etiam addit comparationē
 Solis necessitatis fuisse, non æqualitatis, sic
 enim dicitur, non quòd Sole splendidior non
 esset, sed quantum intueri poterant spectato-
 res; nam si universam gloriæ claritatem ostendisset,
 an non illi protinùs exarsissent? Vnde
 etiam necesse fuit ut nubes obumbraret eos,
 nec tamen sic illa potuit obumbrare, ut non
 esset ipsa lucida; neq; enim opacitate suâ po-
 tuit lumen impedire. Sed quod etiã ampliùs
 admirare, vestimenta ipsa, licet non essent dia-
 phana, à corporis luce sunt illustrata, un le ait
 Marcus c. 9. *Et vestimenta ejus facta sunt splen-
 dentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo
 non potest super terram candida facere;* Immo
 ipsi Moyses, & Elias, ex luminis repercussione,
 uti dicit Lucas, c. 9. *visi sunt in Majestate;* Ac
 licet id ipsa meridie fieret, nil tamen obfuit
 Solis splendor: Vnde Damascenus in Carm.
 de Transfigur. Sol hic noster se occuluit,
 ubi te vidit in monte Thaboreo. Certè
 quidquid de Christi Domini pulchritudine
 dictum est, ut à Prophetâ, *Speciosus formâ
 præ filiis hominum:* Item plurimos suâ pulchri-
 tudine attraxisse, secundum illud, *Specietuâ &
 pulchritudine tua, intede, prosperè procede, & re-
 gna,* Item quod dicitur Ezech. 3. *Ut adamãtens*

et silicem posui faciem tuam, Quod Richard, interpretatur de pulchritudine Christi, qui ferrea etiam corda ad se attraxit: Denique quantum splendida videatur Sponsi descriptio, in cap. 5. Cant. quem Sponsa conquistis undique similitudinibus formosissimum depingit, *Dilectus meus candidus et rubicundus; caput eius aurum optimum, coma eius sicut elata palmarum, &c.* & alia multa ad speciem formosissima, quam descriptionem his verbis concludit, *Totus desiderabilis*: Hæc tamen omnia, specie tam admirabili minora sunt, *Et resplenduit facies eius sicut Sol*, usque eò ut Patres Græci dicant in eo splendore visam fuisse Divinitatem. Nihil itaque mirum, si inter tot amoris incendia, atque illecebras, extasim passi sint tres illi Apostoli tanti spectaculi testes beati, Petrus, Jacobus & Joannes. Vide enim quid passi sunt. 1. timore magno correpti sunt; ait namque Marcus cap. 9. *erant enim timore exterriti*. Timebant nimirum ne opprimerentur à gloriâ: Ad hæc tanta rerum inusitatarum præsentia, tanta Majestas in luce, in nube, & in voce eos percellerat. Et certè si Moses in monte Sina, perterrefactus est, ut ipsemet fateatur: Heb. 12. *Et ita terribile erat quod videbatur, Moyses dixit: Exterritus sum, et tremebundus*: Si qui Angelum vidissent se morituros credebant. Ita Gedeon Judic. 6. *Hæc mihi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem*: Si Daniel ad unius Angeli vocem penè exanimatus est: Quid mirum si ad tanti spectaculi visionem Apostoli timore sunt exterriti? Est autem timor effectus extasis, dum animus extra se rapitur, nesciens quid sibi fiat in statu insolito, seque ipsum superante. Vt autem scias extasim illam amoris fuisse, fuit ille timor admirationis ac stuporis, præ magnitudine tanti objecti, qui conjunctum habuit vehementem gaudium de eodem bono. Matth. c. 17. *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde*. Hic casus causam

habuit timorem: nam ut ait Sanctus Hieronymus in Commétario. Timor magnus, corporis vires solvit: Siquidem humana fragilitas conspectum majoris gloriæ ferre non sustinet, & totâ animâ, atque corpore committens, ad terram cadit, quod ferè solet in extasi contingere; dum enim extollitur anima corpus decedit, omnibus spiritibus exhaustis, quos anima ad unius objecti, illam ad se totaliter rapiens, contemplationem trahit, Sed ille insignis inter cæteros amator Petrus, quid non est passus in extasi? Nam præter ipsius cum aliis & timorem & casum, quo usque à se non est abreptus? *Domine bonum est nos hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Elia unum*. Ita scilicet tantæ Majestatis species illius animum occupat, ut nihil aliud cogitaret, & omnem aliarum rerum memoriam abjiceret. *Bonum est nos hic esse*; quid enim vel honestius, vel delectabilius, vel utilius esse potest? Sic se res habet in extasi, unica res totam animam implet: Itaque consulit tabernaculorum erectionem, quasi aliarum rerum esset oblitus. Sic amanti contingit, ut si amato perfruat, rerum omnium obliviscatur, nam ei sufficit, si amatum possideat. Sed ut ait Evangelista: *Nesciens quid diceret*; Ita nimirum in extasi quædam esse solet sapiens ignoratio. *Nesciens quid diceret*: Nimirum non habuit, ait Enthymius, quid diceret, quidve loqueretur; nam quæ verba sufficere possent, & tantæ rei significandæ, & suo sensui expromendo? Cùm nihil itaque haberet melius quod diceret, in hæc verba prorupit. *Bonum est nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula*. Sed cùm etiam hæc diceret, nescivit quid loquebatur: non quòd non intelligeret quod dicebat, uti malè aliqui interpretati sunt, nam & bonum esse dicebat, quod bonum esse sentiebat in se se, & tabernaculorum mentionem faciebat, quoniam inde exire nolebat, nam hanc felicitatem perpetuam esse optabat.

optabat: *Nesciens tamen quid diceret*: quoniam incongruè loquebatur, non advertens, quæ loquebatur non expedire: Etenim bonum esse aiebat ut hic essent, hoc est permanerent: Tum ut permanerent, tabernacula erigere volebat, in utroque deceptus: Neque enim erat bonum, hoc est conveniens illic manere, neque in tantâ gloriâ existentibus, & intra nubem receptis necessaria fuere tabernacula ut remanerent. Sed nimirum amor præceps est, & in extasi inconsideratus, ita in uno defixus est. Ita tam admirabilis spectaculi dulcedine allectus, & admiratione elatus cum nihil melius cogitare posset, sic permanere voluit, aliarum omnium rerum oblitus. 1. Quod paulò antè dixerat Christus, sibi moriendum esse; 2. Christum non Petri tantum causâ venisse, sed totius mundi, quod ipsi Petro exprobrat Damascenus: 3. Id non sufficere ad Christi gloriam, ut in uno monte cum Mose, & Eliâ permaneret, qui in cælos erat ascensurus eum innumerabili Iustorum

multitudine. 4. Id pugnare cum Scripturis Prophetarum, cum Patris voluntate, cum fine propter quem Filius Dei venerat. 5. Quòd nondum esset tempus mercedis sed pugnae. Igitur, ait Damascenus, non implebitur quod tibi dictum est te accepturum claves regni cælorum. Nisi Divinitatem Adamus præmaturè expetivisset, quod cupiebat, habuisset. Itaque ne ea quæ bona sunt præproperè petas. Erit aliquando tempus cum hoc spectaculo in sempiternum fruaris.

Certè vides quod dixi summam fuisse extasim, revelationem omnium sublimissimam ac diviniissimam. Sic Sponsa introducta in cellam vinariam: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore languo.* 1. Cor. 16. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema; Maranatha.* S. Clemens. Sit anathema usque ad adventum Domini. S. Anselmus, Si prior adventus non fuerit utilis, sit ei ad damnationem secundus mox futurus. Finis Transfigurationis solus **JESUS**. Amen.



FERIA SECUNDA

DOMINICÆ SECUNDÆ,
IN QUADRAGESIMA.
CONCIO PRIMA;

Exponitur hæc sententia per varias propositiones.

In peccato vestro moriemini. Joan. 8.

MIRA est peccati, & mortis conjunctio, ut de uno dici nihil possit, quin de alio mortis comminatio fuit ratione peccati: Unde Apostolus Rom. 5. *Per unum hominem, peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*